



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 107. Harum literarum fata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

tam anno sequenti datis rursus Jan-<sup>Sæc. XVII.</sup>  
senii propositiones tueri videtur. <sup>A. C. 1656.</sup>

## §. CVII.

*Harum Literarum fata.*

Quamvis hæ literæ a bina Universi-<sup>Recueil. Hist.</sup>  
tate fuerint commendatæ, nihilo-<sup>in Bibl.</sup>  
minus non modo a Patre Annato, De-<sup>Sorb.</sup>  
schamps, Crasset, & Daniele Jesuitis  
tam hæ, quam Arnaldi epistolæ fue-  
runt vehementer exagitatæ, sed insu-  
per anno sequenti die sexta Septembris  
Alexander VII. in Congregatione Ge-  
nerali S. Romanæ Inquisitionis easdem  
damnavit, prohibuitque sequenti de-  
creto: „Sanctissimus D. N. Alexander  
„Papa VII. præsentis Decreto prohibet,  
„& damnat libros infra scriptos, eos-  
„que pro damnatis & prohibitis haberi  
„voluit sub pœnis & censuris in sacro  
„Concilio Tridentino, & in indice Li-  
„brorum prohibitorum contentis, aliis-  
„que arbitrio Sanctitatis suæ in-  
„figendis. „

I. Decem & octo Epistolas Gallico  
„idiomate conscriptas. II. Item epi-  
„stolam Advocati Parlamentarii ad  
„suum Amicum circa Inquisitionem in  
„Gallias invehendam occasione Bullæ  
„Alexandri VII. III. Opera omnia  
„Arnaldi. IV. Et quia circumferun-  
„tur



Sæc. XVII. „tur quædam folia impressa, An. 1656.  
 A. C. 1656. „quorum titulus est: *Tredecim Theolo-*  
 „*gorum ad examinandas quinque Proposi-*  
 „*tiones ab Innocentio V. Selectorum sus-*  
 „*fragia*, seu ut appellant, *Vota summo*  
 „*Pontifici scripto tradita*. Eadem San-  
 „ctitas sua præsentis hoc Decreto illa  
 „prohibet, & declarat, ac decernit,  
 „illis tanquam apocryphis nullam fidem  
 „esse adhibendam, nec a quocunque  
 „allegari posse, vel debere. V. Et præ-  
 „terea Epistolas, libellos, ac libros  
 „alios quoscunque, in quibus doctrina  
 „*Cornelii Jansenii* Episcopi Yprensis, in  
 „quinque Propositionibus per Constitutio-  
 „tiones Innocentii Prædecessoris, &  
 „Sanctitatis suæ damnata asseritur, aut  
 „quomodolibet approbatur, vel defen-  
 „ditur, tam impressos, quam impre-  
 „mendos quocunque idiomate, vel quo-  
 „modolibet etiam in scriptis evulgatos  
 „vel in futurum evulgandos, Sancti-  
 „tas sua omnino damnat, & prohibet  
 „ac damnatos & prohibitos esse voluit  
 „mandans, ut nemo cujuscunque gra-  
 „tus & conditionis existat, etiam spe-  
 „ciali seu specialissima nota dignus  
 „libros prædictos, aut aliquem ex illis  
 „apud se retinere, legere, aut impre-  
 „mere, aut imprimi curare audeat,  
 „sub pœnis & censuris contra hujus-  
 „modi delinquentes statutis; sed statim  
 „qui



„quicumque illos habent, vel in futu- Sæc. XVII.  
 „rum quandocumque habebunt, loco- A. C. 1656.  
 „rum Ordinariis, seu Inquisitoribus sub  
 „iisdem pœnis exhibere teneantur. „

„Insuper cum hac occasione & præ-  
 „textu in lumen prodeant plures libri  
 „continentes & tractantes materiam  
 „de *Auxiliis*, nulla prorsus petita vel  
 „obtenta licentia ab hac sacra Congre-  
 „gatione, contra formam Decretorum  
 „Pauli V. & Urbani VIII. Prædecesso-  
 „rum suorum (quæ, quatenus opus  
 „sit, Sanctitas sua denuo confirmat, in-  
 „novat, & inviolabiliter observari man-  
 „dat, sub censuris & pœnis in eisdem  
 „contentis) ideo illis inhærendo, di-  
 „ctos libros editos, & in futurum quo-  
 „modolibet edendos absque eo, quod  
 „fiat de illis specialis mentio, ipso  
 „facto, absque alia declaratione pro-  
 „expresse prohibitis haberi voluit, &  
 „decrevit. „

Joannes *Lupus* Sanct. Sanct. Rom.  
 & universalis Inquisitor Not. Præ-  
 terea Ludovicus XIV. Franciæ Rex  
 quatuor Episcopos, & novem Parisien-  
 ses Doctores nominavit, qui hæc Pa-  
 scalis literas latine sub e mentito no-  
 mine Wendrokii a Nicoleo redditas,  
 necnon disquisitiones Pauli Irenæi di-  
 scuterent, suumque desuper iudicium  
 ferrent: Hi autem die septima Septem-  
 bris



Sæc. XVII. A. C. 1656. bris ita censebant: Nos infra scripti Re-  
 gis decreto selecti ad ferendum iudicium de  
 libro, cui titulus est, Ludovici Montaltii  
 literæ Provinciales &c. præmisso ejusdem  
 libri diligenti examine, testamur Jansenis-  
 nas hæreses ab Ecclesia damnatas in eo pro-  
 pugnari, atque defendi, tum in dictis li-  
 teris Ludovici Montaltii, tum in Notis  
 Willelmi Wendrokii, tum in adjunctis  
 Disquisitionibus Pauli Irenæi: atque id  
 esse ita manifestum, ut, si quis neget, necesse sit,  
 vel non legisse librum hunc, vel non intellexisse;  
 vel certe, quod pejus est, non putare, id hæreticum esse,  
 quod a summis Pontificibus, & ab Ecclesia Gallicana,  
 & a Sacra Facultate Theologiæ Parisiensis  
 damnatur ut hæreticum.

Testamur insuper maledicentiam & pe-  
 tulantiam tribus illis authoribus adeo esse  
 familiarem, ut nulli hominum conditioni par-  
 ceant, exceptis Jansenistis; non summo Pon-  
 tifici, non Episcopis, non Regi, non præ-  
 cipuis Regni Administris, non Sacrae Fac-  
 cultati Parisiensi, non Religiosis Familiis:  
 ideoque librum esse dignum pœna libellis Je-  
 mosis & hæreticis a jure constituta.

Percepto horum iudicio die vigesima  
 tertia Septembris anno Christi millesimo  
 sexcentesimo sexagesimo Sacerdior Regis  
 Christianissimi Senatus edito decreto Parisiis  
 has Pascalis literas tanquam hæreticas & maledicas  
 per



per manum carnificis lacerari & com-  
 buri jussit: pariter die nona Februarii Sæc. XVII.  
A. C. 1656.  
 Anno hujus sæculi quinquagesimo se-  
 ptimo Senatus Aquensis in Provincia  
 easdem utpote *famosas, calumniis plenas,*  
 & *publicæ rei perniciosas* pariter a car-  
 nifice in flammam conjici mandavit, sta-  
 tuta gravi pœna in typographos, alios-  
 que, qui illas imprimere, retinere,  
 vendere, aut distrahere præsumerent.

## §. CVIII.

*Parisiensium & Rothomagensium Pa-  
 rochorum Zelus contra laxiorem  
 morum doctrinam.*

Postquam vero hæ Pascalis literæ Ro-  
 thomagum fuerant delatæ, Argentre  
l. c.  
 hujus Diæcesis Parochi exhorruere ad  
 perniciosas, laxasque doctrinas, quas  
 harum literarum Author ex Jesuitarum  
 Scriptoribus hausisse asserit: Eapropter  
 propositiones ab eo allatas cum ipsorum  
 libris, unde excerptæ dicebantur, &  
 in quas San-Macloviensis Parochus in  
 suis concionibus vehementius invehe-  
 batur, habitis hac de re comitiis con-  
 ferre statuerunt: Seligunt igitur ad hoc  
 munus sex Parochos doctrina ac pro-  
 bitate magis conspicuos, quibus datum  
 est negotium, ut ejusmodi propositiones  
 ex hisce Theologorum libris integra  
 Hist. Eccles. Tom. LXII. Y fide